



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv  
Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1666**

17. Bonam mortem baptizato prænuntiat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10854**

illius peritos. Hic P. Franciscus Christi effigiem in cruce digito vno longam collo detrahit, demittitque in mare, sed factum, quo casu haud scio, ut manu excideret, fluctuque sorberetur, ex quo tantum cepit animo dolorem, ut valde insolita eius indicia proderet. Postridie Insulam Baranuram tenuimus, & pagum illius Tamalum, quem nauis, & vectores petebant, horæ abierant viginti quatuor ex quo crucifixi perierat imago, quibus totis fuit continua tempestas. Cum P. Francisco in litus exscenderam, & iter secus mare, Tamalam carpebamus. En autem passus post ferè quingentos videmus è mari enatantem cancerum, & vna iconem crucifixi, rectam inter chelas & sublimem portabat cancer, & animaduerti versus P. Franciscum tendere, cuius lateri adstabam, & coram eo hæere immobilem. Prouoluto in genua Patre, expectavit cancer, dum is crucifixum reciperet, quo exoneratus, mari se iterum condidit. Pater complexu, & osculis crucifixum stringens, decussatis ad pectus manibus, horæ dimidiæ spatio, ut erat de genibus substitit, & ego cum illo pariter, precando agendisque tanti miraculi gratiis indè quam institeramus viam peregimus ] hæc Faustus Rodericus. Octiduo Tamali transacto, Rosalaum nauis vela fecit; illic ut nuper Baranuræ Christum ethnicis, sed frustra prædicat; ut enim magis quadrupedes vitiis, quam ortu barbari, surdas aures monenti præbuere; vnum tantà ex turbâ Christo lucratus est. Pedum in cæteros puluerem excussit, nè quid sibi ex loco adeò scelerato abeunti hæreret.

17. Fuit tamen is vnus quem Deo lucrifecit multorum vice; Christi aquâ lustratum, suo Francisci nomine vocauit; docuitque iam tum, ipse cœlitus edoctus, beatam sortem quæ illum maneret; asserens, factum Iesu nomen piè inuocantem, vitæ finem facturum. Notatum accuratè oraculum, fecit apud omnes neophyto famam, eius intercæ euentum præstolanti; qui quadragesimo altero post anno incidit. Militiam secutus, in multas expeditiones Lusitanis stipendia meruit, donec anno 1588. Sancio Vasconcello Amboini præfecto aduersus Hiamaum pugnante ad mortem saucius, in castra refertur, confluunt ad eum cum Indis Lusitani, ad vaticinij pernegati exitum suspensi, ut spectent animam agentem, & planè obitus tantò antè prædictâ felicitate positus est. Integris sensibus, & has voces continuò repetens *Iesu adiua me*, inter has placidè expirauit.

17  
Bonam mor-  
tem baptiza-  
to prænu-  
tial.

18. Quæstuosius fuit Apostolo Euangelij sacri præconium Vlate in Insulâ, quæ & ipsa ex duodecim est quibus Amboini nomen tribuitur. Bello tunc miserè ardebat; regem arctabat diuturna obsidio; sollicitabat ad deditionem haud quidem animi, & armorum, sed aquæ penuriâ, quam auersis ab vrbe fontium scatebris hostis induxerat. Cælo igitur æstuosissimo, nullamque dudum nubem imbrium daturo, siti vrente ciues interibant. Quamobrem visum Xauario pronum hunc faustæ necessitatis articulum occupare ad asserendam Christo victoriam ex obsidentium manibus, cum æternâ salute obsessorum. Confidentia humili

18  
Regem Vlat-  
is miraculo  
seruat, &  
cum suis ba-  
ptizat.